UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Christ-eyfriger Seelen-Wecker/ Oder Lehrreiche Predigen ...

Das ist: Lehrreiche Predigen/ Von der Seeligsten Mutter Gottes Maria unserer lieben Frauen/ auf dero Fest-Täge

Barcia y Zambrana, José de

Augspurg, 1718

Licentia Ordinarii

urn:nbn:de:hbz:466:1-76465

Visual Library

Approbatio

Hoc condimenti genus in prædicando Sanctus Apoſtolus Paulus haud dubie expetijt, dum ſermones gratia & ſale conditos tantopere inculcavit: (9) nam cum ſale ſapidi, ſine illo inſipidi ſunt: & plus efficiunt grata conſilia, quàm aſpera dicta. Homines lenimentis ſanantur, aduſtionibus peſſumdantur. Plantæ quoque, ceu ſenſu pollerent, blando rore conſperſæ prolificant, rigidis turbinibus obrutæ ſterileſcunt.

(9) Sermo veſter in gratia ſit Sale conditus, Coloſſ. 4.6.

Allicit benignitate, non tenet aſperitate · nihil ſine ſapore; cuncta ſuavitatem ſpirant: ac præterquam, quòd maximis Apoſtolici Operarij occupationibus minimè deſit, aſperitatem veritatis gratiâ & ſale prudentiſſimæ facundiæ temperat. Irretitos amabilis induſtriæ filo è fallacis culpæ Labyrintho educit. Diſſolutiones conſcientiæ ſuavi urbanitatis Aulicæ cingulo conſtringit.

Inſuper ſermones ejus ſunt efficaces, non enim in ſola dictione ſiſtit, ſed cum opus progreditur: hinc olim mirabantut verba ex optimo ore procedentia (10) quia, cùm eſſet Verbum Sapientiſſimum, in opus reduci, ac opus fieri voluit. (11) Ipſum præceſſit, ut omnes illud ſequerentur, etenim opus prædicatoris obedientia eſt auditoris. Sauciati pectoris illicio Servator incredulum diſcipulum ad frugem reduxit; ceſſat enim obſtinax contumacia, ubi tam ignita opera palpantur.

(10) mirabantur omnes de verbis, quæ procedebãt de ore DEI. Luc. 4.22.

(11) Verbũ caro factũ eſt. Jo. 1.

Author iſte non ſolùm ſenſus maximè reconditos, arduos, ſanos ac ſolidos antiquorum Patrum, (12(ſed etiam fructum Sanctorum Doctorum exquirit; ſunt meræ ſententiæ ſubtiles ad corrigendos mores idoneæ. Quid ejus doctrina prodeſſet, niſi ad id, quod pluris eſt, animum intenderet? magnum ſalutis pignus eſt ſapientia; atverò ſalus majus eſt ſapientiæ teſtimonium.

(12) Sapientiam omnium antiquorum exquiret ſapiens.

NoluitRedemptor noſter, ut lucernæ ardentes candelabris imponerentur, ſed ut diſcipulorum manibus geſtarentur (13) eo quòd exempla practica in manibus exiſtant, hinc voluit, ut proximo communicarent id quod lucet, ſed ut ipſi prius manibus palparent id quod ardet. Authoris noſtri lux illuminat, non adurit; ejus acumen non pungit, ſed inflammat: ejus compoſitio non faſtidium creat, ſed ad venerationem movet: ejus gratia non adulatur, ſed inſtruit: vox ejus non terret, ſed allicit: meri effectus operis undequaque perfectiſſimi.

13) Et Lucernæ in manibus veſtris Luc. 12.

Tanquam cæleſtis Prædicator energiam non in verbis tantùm, ſed in exemplis ponit. Vita ejus continua, continua doctrina eſt. Humanorum vaginam commodotum abjecit, ut ſupernaturalium virtutum frameam ſtringeret.

Elias pallium ſuum in mundo reliquit (14) ut expeditior ad cælum fieret; & ille, de quo ſcribo, infularum ſplendorem reliquit, ut ejus alæ redderentur veloces. Jam jam videbitur Authori, me humilem illius offendere modeſtiam; Verùm alij aliter ſentient: non enim locus eſt adulationi, ubi vox & fama publica ſuffragatur.

(14) 4. Reg. 2.13.

Demique dictum opus eſt omni ex parte prudens, ſapiens diſcretum, profundum, clarum, uniforme, fundamentale, verum, natum cum rebus, attentum, humanum, dulce, gratum, reverens, obſequioſum, elaboratum, medicinale, ſanum, utile, grave, juſtum, ſanctum, perfectum, & ſolidum: quî proin fieri poſſit, quin Sanctæ fidei noſtræ, ac bonis moribus conſonum non ſit? Atque his dixi ſententiam, quam dicere juſſit Dominus Licentiatus Alphonſus de Portillio & Cordos, Sacræ Collegiatæ Eccleſiæ Talaverenſis ſummus Cantor, nec non Civitatis Madritenſis ejusdemque territorij Vicarius. Ita Sentio &c. Madriti è Conventu Sanctæ Mariæ de Victoria, 6. Id. Septembris 1690.

Fr. Augustinus de Ocanna.

LICENTIA ORDINARII

NOs Licentiatus Alphonſus de Portillio & Cordos, Eccleſiæ Collegiatæ Talaverenſis ſummus Cantor, Inquiſitor Ordinarius nec non Civitatis hujus Madritenſis, ejusdémque territorij Vicarius. Facultatem damus, ut, quantum ad nos pertinet, typis mandari poſſit Liber, cui titulus: **Chriſt-Eyffrigen Seelen-Weckers** *Mariale*, **das iſt: allerhand Lob-Reden von der Seeligſten Mutter GOttes Maria ꝛc.** Compoſito à Domino Doctore Joſepho de Barzia, & Zambrana, Sanctæ Eccleſiæ Toletanæ Canonico, ac Regiæ Majeſtatis Concionatore &c. Cùm è cenſura multùm R. di P. M. F. Auguſtini de Ocanna, Ordinis Minimorum S. Franciſci

ciſci

ciſci de Paula; cui id commiſimus, conſtet, nihil in illo contineri Sanctæ fidei noſtræ Catholicæ, ac bonis moribus contrarium. Datum Madriti 4. Id. Septembris, anno milleſimo ſexcenteſimo, nonageſimo.

Alphonſus de Portillio & Cordos Lic.

Ex ejus mandato

EMMANUEL de S. MARTINO,
Notarius.

APPROBATIO
D. Doctoris Rodriquez de Montfort,

Conſilii ſupremi Inquiſitionis Generalis, ejuſdémque Congregationum Secretarum Qualificatoris, & illius nomine bibliothecarum ac librorum horum regnorum reviſoris Generalis, S. Marthæ de Thera Abbatis, Sanctæ Eccleſiæ de Astorga Canonici Archi-Epiſcopatûs Toletani Examinatoris ſynodalis, & Apoſtolici Nunciaturæ Hiſpaniæ, Regiæ Majeſtatis Concionatoris & Sacellani honoris, regiiíque Palatij Curionis, nec non Regiæ Capellæ Quæſtoris &c.

M. P. S.

SI fieri poſſet abſque Rd.mæ. D.V. Jurium læſione, ac ſtyli communis alteratione, non permittentis, ut opus aliquod præli beneficio in publicam lucem prodeat, niſi prius authenticam approbationem obtinuerit; Supervacaneum judicarem hoc mandatum, quod R.ma D.V. mihi remittit, ut librum hunc à D. Doctore Joſepho de Barzia & Zambrana, Eccleſiæ Primitialis Toletanæ Canonico, regiæque Majeſtatis Concionatore conſcriptum perlegam: cùm enim iſte fateatur, eum eſſe hunc (ad Plinij mentem) parum obligationi meæ dicendum supereſt: Plin. li. 2.
omnia dixi, cùm virum dixi. Non deſunt Auctores famæ adeo eminentis, ut ſolo ſuo li.1.epiſt.4.
nomine tantam operibus ſuis auctoritatem concilient, ut quicunque ea, vel ſolius cenſuræ ferendæ gratiâ, relegere præſumpſerit, temeritatis notam haud effugiat, tametſi Zelo ſuo excuſare ſeſe nitatur, niſi præceptum ei (quemadmodum & mihi) neceſſitatem imponat. Uti nec opera deſunt, (inquit S. Cyprianus) quæ ipſamet eruditionem ſuam loquuntur, quin linguâ legentis exaggerentur; habent enim & opera ſuam linguam, ha- S. Cyprian.
bent ſuam facundiam, etiam tacente linguâ legentis.

Verùmenimvero quaſcunque demum ambages quærat Idæa illa, quam pluribus abhinc diebus de ſcriptore iſthoc concepi, ut non dicam in particulari, quid de ſtudijs hiſce ſentiam; nihilominus obedientia mea motivum non invenit, quod ad omittendum R.mæ Dom. V.ræ mandatum ſufficiat. Quare, ne in hac affectuum contrarietate admiratio mea remiſſa permaneat, dico ſimul & ſemel idipſum de hoc opere, quod de alio ſimili (quam- Plin. ubi
quam in occaſione minus opportuna) Plinius aſſeruit: *hoc opus pulchrum, validum,* ſup.
ſublime, varium, elegans & purum. Hæc proprietas *pulchri*, quæ hic primo loco requiritur, diverſas analogias in intellectibus humanis continet; nonnulli pulchram vocant orationem ob ſublimitatem vocum, alii ob energiam concluſionum, alij ob acumen conceptuum; cúmque nulla harum circumſtantiarum in hoc libro deſideretur, ego in illius objecto ſummum pulchritudinis apicem deprehendo: cùm enim B. V. Mariæ prærogativas exhibeat, nec devotio nec fides in objectum pulchrius incidere poteſt, non introducendo in hanc comparationem Divino ejuſdem Filio. *Validum.* Soliditas diſcurſûs in authoritate fundatur: parvi conſtiterit operis hujus artifici, quòd nulla in eo cogitatio reperiatur, à veritatibus Patrum, & Sacræ Scripturæ non comprobata, ſiquidem raros invenies, qui in Sacræ Scripturæ ac Patrum notitia illum excedant. Et niſi timerem